

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Caput IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

mota, quin & intacta. Audiamus ergo alia argumenta.

CAPUT IV.

SOLVITUR OBJECTIO

II. D. Heideggeri,

Objicit II. *Ipsa verba, quibus Evcharistiam Christus instituit, fictitiam ejusmodi presentiam excludunt.*

Resp. Prorsus contrarium ex verbis, quibus Christus Evcharistiam instituit, evincitur. Siquidem singula verba disertè adstruunt veritatem realis presentiae corporis illius in Evcharistia, uti in parte I. cap. 2. usque ad cap. 8. probatum est. Quare falsum est, quòd illa verba ejusmodi presentiam velut fictitiam excludant. Siquam autem ut verè fictitiam excludunt, sanè eam excludunt, quam & Stuckius & Heid. asserunt, & verbis *realem* dicunt; re ipsam autem dum corpus Christi quoad rem vel entitatem suam adesse nolunt, *realem* negant, ut supra fol. 97. 167. & 227. Quia verò D. Heid. assertum suum quinque invictis rationi-

nibus à se probari putat, audiamus illas, & singulas majoris claritatis causa, in §. distributas seorsim examinemus, ut cujuslibet robor clarius appareat.

§. I. Ratio I. Heideggeri.

Quia Christus corpus suum fractum & sanguinem fustum indigerat, cum tamen nec eâ horâ, utpote vivus adhuc corpus fractum, seu mortificatum, & sanguinem fustum porrexerit, vel porrigere potuerit; nec post resurrectionem corpus ejus ut fractum unquam amplius exhiberi possit. Hæc D. Heid.

Non video, in quam meliorem, quàm in sequentem, syllogisticam formam hoc argumentum reduci possit.

Eo modo corpus & sanguis Christi est in Eucharistiâ præsens, quo modo Christus in cænâ corpus suum fractum, & sanguinem fustum discipulis porrexit; & quomodo adhuc post resurrectionem corpus ipsius fractum, & sanguis fustus exhiberi potest.

At Christus corpus suum realiter fractum seu mortificatum, & sanguinem verè ac realiter fustum nec in cænâ porrexit,

rexit, vel etiam porrigere potuit; nec post resurrectionem corpus illius verè ac realiter fractum, & sanguis, fusus unquam amplius exhiberi potest.

Ergò corpus & sanguis Christi non est in Eucharistiâ verè ac realiter præsens.

Major videtur certa, quia Christus eâdem periodo, qua dixit, *Hoc est corpus meum*, addidit: *quod pro vobis datur*. Luc. 22. v. 19. Seu, uti Paulus loquitur. I. Corin. 11. v. 24. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλωμένον, *quod pro vobis frangitur*. Et quemadmodum postea de calice dixit: *Hic est sanguis meus*. Matth. 26. 28. sic eâdem periodo addidit, *qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. v. 28. Ergo eo modo est corpus & sanguis in Eucharistiâ præsens, quo tunc in cœnâ, & nunc, post gloriosam Resurrectionem, corpus ipsius frangitur, & sanguis funditur.

Minorem probat D Heidegg. quia Christus nec eâ horâ cœnæ, *isipote vivus adhuc, corpus fractum seu mortificatum, & sanguinem fusum porrexit, vel porrigere potuit: nec post resurrectionem corpus ejus ut fractum unquam exhiberi*
am.

amplius potest. Syllogismus est in forma; & ideo conclusio bene deducitur. En igitur quàm solidum argumentum rursus nobis oijciatur!

Resp. 1. Per instantiam, & obijcio frequentem similem syllogismum.

Eo modo æternus Dei Filius (quæ Deus) incarnatus est, quo modo ipse crucifigi & mori potest, & mortuus est.

At æternus Dei Filius (quæ Deus) non potest crucifigi & mori verè ac realiter, nec sic mortuus est.

Ergo æternus Dei Filius, quæ Deus, non est incarnatus verè ac realiter.

Major hæc est etiam certa, si illa prioris syllogismi certa est: nam Paulus eâdem etiam periodo (saltem virtuali) de utrâque, nempe æquè de crucifixione, & morte, ac de incarnatione dixit: *Qui (id est æternus Dei filius) cùm in formâ Dei esset, non rapinum arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitum invenit ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

eis, Phil. 2. v. 6. Hæc verba eundem sensum, eandemque veritatem retinent, si illa comprehendo hac unicâ periodo : *Filius Dei, qui factus est homo, se humiliavit usque ad mortem, &c.* Ergò eodem etiam sensu dicendus est esse incarnatus, quo dicitur mortuus & crucifixus.

Rursus, si Minor illius præcedentis Syllogismi vera est, pari ratione etiam vera est Minor hujus syllogismi; quia filius Dei æternus, quâ Deus, est in naturâ suâ Deo Patri æqualis, impassibilis, & immortalis: & ideo non potest verè ac realiter crucifigi & mori. Ergo neque est verè ac realiter incarnatus. Syllogismus est in eâdem formâ: ergo & conclusio æque bene, ac illa prioris syllogismi deducitur.

At D. Heideggerus utique negabit hanc conclusionem; quia continet hæresim Manichæorum, qui docebant, filium Dei non assumpsisse veram naturam humanam, & ideo non verè ac realiter esse incarnatum, sed tantùm apparenter assumendo figuram ac similitudinem aliquam phantasti-

sticam hominis, qua putaretur esse verus homo. Et quidem hoc docebant, quia ipsis videbatur esse absurdum, ut æternus Dei filius dicatur verè in cruce mortuus: imò putabant, hoc esse impossibile, cum ille, quæ Deus, nullo modo mori possit. Imò illi observabant hæc verba Pauli: *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, habitu inventus ut homo &c.* At hæc opinio, velut hæretica, jam olim à Concilij & Patribus damnata est, & ab ipsis quoque Protestantibus damnatur. O qualiter sibi, suisque applauderet D. Heid. si verbis Christi, quibus Evcharistiam instituit, talia verba inserta videret, ut eò facilius *figuram* & *similitudinem* assereret, & realem præsentiam excluderet! Quid ergo D. Heid. ad Majorem & Minorem respondebit, quæ similibus profus rationibus probantur, quibus illæ sui argumenti? Ipse ergo viderit, quomodo solidè respondeat, & non simul sui argumenti falsitatem prodat.

Resp. 2. directe ad syllogismos utrinque objectos, & dico 1. Majorem

rem

rem utramque non esse adeo, uti videtur, absolute veram. Nam ex eo, quod aliqua verba unâ periodo continentur, non sequitur, quod uno prorsus sensu intelligenda sint, & quod ideo ea, quæ asserunt, uno modo se habeant. Si enim dico: *Filius Dei, qui formam servi accepit, est vitis vera*, propositio hæc verissima est in suo sensu, quo Christus dixit: *Ego sum vitis vera*. Joan. I 5. v. 1. At falsum est, quod eo modo Filius Dei formam servi accepit, quo modo est vitis vera: nam formam servi accepit, & incarnatus est verè ac realiter; at vitis non est vere ac realiter. Sic ex eo, quod filius Dei unâ periodo dicatur incarnatus & mortuus, non sequitur, quod sit eo modo incarnatus, quo est mortuus: & ideo nec sequitur, quod corpus Christi eo modo sit præsens in Eucharistia, quo frangitur, ex eo, quod utrumque unâ periodo asseratur. Sufficit enim ut utrumque eo modo sit, quo quodlibet in vero & plano aliquo sensu asseri posse, vel ex ipsis terminis, vel ratione aliquâ sufficiente agnoscitur.

His

His notatis, nego absolute etiam utriusque Minorem. Nam etsi nec Dei Filius, quia Deus, crucifigi & mori, nec corpus Christi vivum & gloriosum frangi possit verè ac realiter in stricto ac rigoroso sensu, quò ad propriam entitatem ac naturam; possunt tamen mori & frangi in aliquo alio, & quidem etiam vero & usitato sensu, nempe, quia humana natura, in quà ipse visibiliter apparuit, 1. Tim. 3. 16. crucifixa & mortua est: & quia species panis, sub quibus loco substantiæ corpus Christi continetur, franguntur. Et hoc sufficit ad salvanda loca Scripturæ citata, quibus Filius Dei mortuus, & corpus ipsius frangi dicitur.

Explicatur. Christus olim exclamabat: *Quis est, qui me tetigit?* Luc. 8. v. 45. Sanè his verbis ipse indignitavit, se verè tactum esse: quomodo autem tactus sit, explicat Lucas his verbis: *Mulier accessit retro, & tetigit simbriam vestimenti eius.* v. 44. En dum vestis tangitur, Christus ipse, utique vero sensu, dixit se tactum esse & ideo, vero sensu, dicitur ille tactus, qui

qui veste, quæ tangitur, indutus est.
 Cur ergo non etiam in vero, etsi non
 in omni rigoroso, sensu dicatur cor-
 pus Christi frangi, & sanguis ipsius ef-
 fundi ex eo, quod species panis & vi-
 ni (sub quibus veluti sub vestimento
 continentur) franguntur & effun-
 duntur, etsi in rigoroso sensu, & cru-
 ento modo nec ipsum corpus Christi
 frangatur, nec sanguis ipsius fundatur.

D. Heid. non concedet, ex eo, quod
 filius Dei, quæ Deus, non possit verè
 ac realiter quo ad naturam divinam
 mori, bene deduci à Manichæis,
 quod Christus tantum apparenter in fi-
 gura hominis mortuus sit, & quod ideo
 filius Dei nec verè ac realiter veram
 naturam humanam assumpserit: sed
 dicet, adhuc superesse alium modum,
 quo Filius Dei, etiam in vero sensu, di-
 catur mortuus, nempe quia mortua
 est natura humana, in qua, veluti ve-
 stimento, ipse visibiliter apparuit, &
 sano sensu, mortalis factus est. Idem &
 ego dico de corpore Christi in Evcha-
 ristia, idem & de sanguine. Etsi enim
 quo ad propriam naturam ac entita-

M tem

tem non frangatur, non debemus ad
meram figuram recurrere, cum bene
possit dici, frangi, ex eo, quod species
panis, sub quibus veluti vestimento
præfens est, frangatur. Quod verò spe-
cies panis sint veluti vestimentum cor-
poris Christi in Euchar. sicut natura hu-
mana est veluti vestimentum divi-
nitatis in Christo, satis supra. fol. 197.

Nec dicat D. Heid. magnam disparita-
tem esse inter Mysteria Incarnationis,
& Eucharistiæ, cum Filius Dei verè na-
turam humanam assumpserit, & sibi hy-
postaticè univerit: at corpus Christi &
species panis non sic uniri. Dico enim,
hanc & alias hujusmodi disparitates ad
rem præsentem non esse: quia nec
Christi corpus cum suâ veste sic unie-
batur; nihilominus, uti audivimus ex
Luca, dum tangeretur vestis, ipse Chri-
stus exclamavit: *Quis est, qui me tetigit?*
Certè, jam supra fol. 179. & 199. vidi-
mus, ab antiquis SS. Patribus magnam
paritatem in utriusque hujus Mysterij
cognitam esse, ita ut ab uno ad aliud in
aliquibus argumentari posse non ne-
garent; etsi in aliquibus magna sit di-
spari-

sparitas. Incumbit ergo D. Heideggero (si doctrinam Synodi nervosè expugnare & convincere vult) ut nervosè convincat, & demonstret, quòd corpus Christi, vero & plano sensu dici nō possit, frangi, ex eo, quòd species panis frangantur, etsi vero ac plano sensu dicatur filius Dei æternus esse mortuus, ex eo, quòd assumpta natura humana sit mortua, & ipse Christus tactus ex eo, quòd ipsa vestis, qua induebatur, sit tacta. Quamdiu hic loquendi modus solidè non rejicitur, validè non concluditur, quòd non alio modo corpus Christi dici possit frangi, nisi in figurâ, seu symbolo panis veram ac rigorosam fractionem in cruce factam figurante ac obsignante. Vide dicta fol. 20. ubi, quòd non debeamus ad hujusmodi sensus tantùm figurativos confugere, dum alius planus sensus afferri potest, satis ostensum est.

Nec rursus dicat D. Heideggerus se ad hoc asserendum cogi, cum maxime indecorum sit dicere, quòd Christi corpus etiam nunc, dum glorio-

M 2

sum

sum est, in Evcharistia frangatur. Nam ipsi etiam Manichæi dicebant, maximè indecorum, imò & impossibile esse, quòd Deus præter suam divinam naturam verè ac realiter etiam humanam assumat, & tamen una tantùm persona maneat; quòd in verâ naturâ humanâ in terris ambulet, tot opprobria sustineat, & tandem in cruce moriatur. Attamen, quia ab ipsis nulla impossibilitas nervosè evincebatur, & id, quod ipsi indecorum putabant, ac scandalum, ipse Paulus infinitæ dilectioni filij Dei erga nos homines, & profundissimæ humilitati adscripsit, ac summè suspexit exclamans: *Qui cùm in forma Dei esset &c. humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ideo ab Ecclesia non audiebantur. Pari modo non conceditur esse indecorum vel impossibile, quòd D. Heideggerus contra Evcharistiam objicit, nisi demonstretur; quinimo quod ipse absurdum dicit, nos infinitæ dilectioni adscribimus, & cum dilecto discipulo Joanne repetimus id, quod ipse, dum ea, quæ in cœna acta sunt

sunt, describere inciperet, dixit: *Sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos, qui sunt in mundo, in finem dilexit eos.* cap. 13. v. 1. vide supra fol. 206.

Resp. III. Scriptura cit. satis astute contra proprium & verum sensum à D. Heid. allegatur, ut minus attentus Lector facile decipi possit. Mi, ubi Christus unquam *corpus suum* (cruento modo, uti D. Heid. supponit) *fractum & sanguinem fusum* indigebat? *Vel unquam corpus fractum seu mortificatum, & sanguinem fusum in carnâ se porrigere dixit?* An fortan Christus dixit: *Hoc est corpus meum pro vobis fractum, vel, Hic est sanguis meus pro vobis effusus?* Sanè expressè usus est verbo præsentis, quod *frangitur; vel funditur*, sicuti ex textu Græco manifestissimum est.

Verum quidem est, quòd priùs Evangelistæ dicant: *Accipit Iesus panem & benedixit, ac fregit, dedique discipulis suis &c.* At hisce verbis non indignant fractionem, de qua Christus

M ;

post-

postmodum locutus est, sed referunt fractionem panis prius factam, quam utique concedimus. Sanè Christus indigitat fractionem corporis sui, dum post istam fractionem panis disertè addit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis* (id est, in remissionem peccatorum) *frangitur*: quemadmodum etiam expressè de Calice loquens dixit: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Matth. 26. 28. At verò non aliud frangitur pro nobis in remissionem peccatorum, quàm corpus Christi: Ergo.

2. D. Heidég. sumit tò frangere in sensu nimis crudo, dum per id non aliam, quàm cruentam corporis Christi fractionem intelligit, quo sensu utique corpus Christi nec in cœnâ fractum est, utpote vivum adhuc, nec post resurrectionem, ut fractum, unquam exhibetur. At velim scire, quâ autoritate, vel ratione D. Heid. evincat, quòd loc. cit. Christus tantummodò cruentâ & nullam aliam fractionem indigerit. Certum est, Corpus Christi nunquam in rigoroso sensu verè fractum esse,

esse, uti S. Joannes expressè testatur dicens: *Milites, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura &c. ut Scriptura (Exod. 12. 46.) impleretur: Os non comminuetis ex eo, cap. 19. v. 33. & 36.* Hoc iplum advertit D. Heideg. ideóque, ne manifestè prodatur, se loco citato abuti, glossam hanc addit: *Seu mortificatum.* At ego etiam híc quæro, cur ait: *seu mortificatum*, id est, ut ipte D. Heid. insinuat, cruento modo tractatum? Ex quo Evangelistâ hanc Glossam evincit? Cur non potius addidit: *seu datum*, vel *traditum*? An non enim hanc glossam expressè reperit apud Lucam, qui in Græco textu verba Christi sic refert. τῆτο ἐστὶ τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν δίδομένον. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Si per τὸ frangere cruenta fractio intelligenda est, cur hanc non etiam ipse Lucas indigitat, ut energiam verborum Christi benè exprimat? Non affertur alia solida ratio, cur Lucas referat, *quod pro vobis datur*, nisi quia ipse novit, Christum his verbis exprimere voluisse,

M 4 cor.

corpus & sanguinem suum jam tunc in
 cœnâ Deo Patri immolari *pro multis in remissionem peccatorum*, non quidem adhuc cruento, sed incruento modo: ideòque usus est verbo *datur*, cum *dare, tradere, frangere, effundere* aliquid Deo, idem sit ac *immolare*, quocunque sive cruento, sive incruento modo fiat. Et quidem ut Christus hoc ipsum adhuc clariùs exprimeret, loquebatur in præsentì, *quod datur, frangitur, & de calice, qui funditur*, utique tunc in cœnâ, non cruento, ergo incruento modo. Imò apud nullum Hagiographum dixit: *Quod vobis datur, vel frangitur, aut de Calice, qui vobis funditur, vel traditur, sed pro vobis id est, in remissionem peccatorum*. Incumbit ergo D. Heid. ut nervosè hanc responsionem refutet, & convincat, verba Christi nullo modo intelligi posse juxta hanc nostram explicationem, sed de solâ cruentâ fractione, seu mortificatione intelligenda esse.

Dicet forsan D. Heid. cum Kemnitio suo (què utpote gratus, uti ait in præf. ad lect. agnoscit & profite tur *non me*
 dio

diocrem in perficienda Anatome Con-
cil. Tridentin. inopia sua opem tulisse)
quòd verba *tradi, frangi, & effundi*
referantur tantummodò ad fractio-
nem corporis Christi, & fusionem san-
guinis in ejus cruce factam; & per fra-
tionem panis, & effusionem vini in
cœna factam illam in cruce faciendam
fuisse figuratam, adeòque in his verbis
presens sumi pro *futuro*, ita ut sensus
sit: *Hoc est corpus meum, quod paulò*
post dabitur ad mortem crucis, ibique
frangeretur &c. Et quidem, ut evincat
hæc verba in hoc sensu accipienda es-
se, ex eodem Kemnitiø sequentes af-
fert rationes. 1. Quia in Canone
Missæ legimus: *Effundetur.* 2. Quia
si tunc in cœna corpus fractum & lan-
guis fusus fuisset, verè fuisset cruen-
tum sacrificium. 3. Scriptura docet
Christi sanguinem fustum esse in cruce.
4. In Scriptura sæpe accipitur præ-
sens, vel etiam præteritum pro futu-
ro, ut in illis verbis: *Ego pono ani-*
mam meam pro vobis meis, Joan. 10.
v. 15. 5. Si illa verba: *Quod pro*
vobis datur, essent verba substantialia,

M § Ca

Canonis Missæ magnum dedecus impingeretur, quod illa verba prætermiserit.

Respondetur facile ad hæc argumenta cum Bellarmino. Lib. 1. de Missa. cap. 12. Et quidem ad 1. fateor, quod Canon Missæ, & S. Cyp. l. 2. epist. 3. imò & Vulgatus Luc. 22. legant in futuro *Effundetur*. At hinc non sequitur, quod alia lectio in præsentibus: *Datur, Frangitur, Effunditur*, quam Græcus textus ubique exprimit, ideo sit reiicienda: quemadmodum nec lectionem de futuro ob hanc de præsentibus reiicimus. Nam hæc lectiones inter se non pugnant, sed una inducit alteram. Christus dixit Matth. 18. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. v. 20.* Sensus hic est: *Ecce ego jam vobiscum sum, & semper vobiscum ero &c.* Sic eodem sensu loquebatur Christus in Cœnâ: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, frangitur &c. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur &c.* Id est, corpus, quod nunc datur, frangitur seu immolatur, & paulò post in cruce, imò postmodum semper dabitur, tradetur, fran-

frangetur, seu immolabitur tanquam verum sacrificium novi Testamenti. Eodem sensu dixit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur, &c.* nempe nunc in cœna, & paulò post in cruce, imò & postmodum semper usque ad consumationem sæculi effundetur &c. Et quidem utramque lectionem admittere debemus, cum utramque inveniamus; & à primâ eò minus recedimus, quò clariùs & Evangelistæ, & Paulus, in originali textu, eam in præsentem tradunt.

Ad 2. jam responsum est, nempe sanguinem fustum esse in cœna non in propriâ specie, sed in specie vini, dum sanguis Christi sub hac specie contentus in calice effundebatur in ora discipulorum; eodem sensu dicebatur corpus Christi frangi, dum à Christo discipulis traditum, & ab ipsis sub specie panis contentum manducabatur, &c. Et ideo non fuit cruentum, sed incruentum sacrificium.

Ad 3. Scriptura verissimè docet, Christi sanguinem in cruce effusum esse, sed nullibi negat, eundem etiam

am in cœnâ fufum esse prædicto modo in cruento: imò hanc effufionem Chriftus fatis fuperque indigitabat, dum per verbum præfens dixit: *Qui pro vobis effunditur.*

Ad 4 Concedo Scripturam fape fumere præfens, vel præteritum pro futuro; at multò fæpius in pleno & proprio fenfu fumat præfens pro præfenti, & futurum pro futuro. Cur ergo à fenfu magis frequenti & proprio recedamus ad fenfum minus frequentem & improprium, præfertim in novo Testamento, in quo rariffimè præfens vel præteritum pro futuro fumitur? Hoc non debet fieri nifi urgentiffimâ causâ cogamur, vel improprie fenfus fe ipfum manifefte prodatur, ut fupra vidimus fol. 20.

Ad 5. Licet illa verba: *Quod pro vobis datur*, non fint verba fubftantialia facrificij, quafi neceffariò requiratur eorum pronuntiatio, ut facrificium perficiatur: attamen funt illa verba, quæ manifefte indicant, Chriftum jam tunc in cœna corpus fuum fuo Patri in facrificium obtuliffe.

At

At cur inter nos de sensu hujus fractionis pugnamus? Audiamus, quo sensu S. Chrysostronus solertissimus & antiquissimus interpres S. Pauli de hac fractione, an etiam in cœna facta fit, senserit. Hic S. Pater explicans illud Pauli: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* I. Cor. 10. quærit: *Διὰ τί δὲ προσέδικεν, ὃν κλάμεν; τὸτο γὰρ ἐπὶ μὲν τῆς εὐχαριστίας ἔστιν ἰδεῖν γινόμενον. ἐπὶ δὲ τῆς σαυροῦ, οὐκέτι. ἀλλὰ καὶ τοῦναντίον τῷτω. ἄσῳν γὰρ αὐτῆ, φῆσιν, ἔσυντριβήσεται. ἀλλ' ὅπερ ἐκ ἔπαρθεν ἐπὶ τῆς σαυροῦ, τὸτο πάχει ἐπὶ τῆς προσφορᾶς διὰ σέ: καὶ ἀνέχεται, διακλάμενος, ἵνα πάντας ἐμπλήσῃ.* *Cur autem addidit, Quem frangimus: Hoc enim licet videre, fieri in Eucharistia: in cruce autem non iidem, sed utique ei contrarium.* Os enim, inquit, ejus non conteretur. (Exod. 12. 46. Num. 19. 12. Joan. 19. v. 36.) *Sed quod non passus est in cruce, hoc in oblatione patitur propter te: & patitur frangi, ut omnes impleat.* Hom. 24. in I. Cor. 10. mihi fol. 533.

En hic S. Pater certissimum supponit, in oblatione (quæ jam post Resurrectionem fit in Missæ sacrificio) corpus Christi in vero aliquo sensu frangi; at tam insanus non fuit, ut crederet, corpus Christi gloriosum cruento modo frangi; ergo aliquo alio modo incruento. 2. Comparat fractionem hanc cum illa, quæ facta est in cruce, & negat Christi corpus in cruce verè fractum esse in eo sensu, qui per verbum κλάμενον propriè indicatur, (nempe quatenus divisionem partium significat) cum ossa corporis non sint fracta. E contra verò dicit, meliore sensu, id frangi in oblatione. Sed in quo meliore sensu? Certè non alio, quam quatenus frangitur, nõ quidem quò ad propriam entitatem corporis modo cruento; sed incruento, dum species panis, sub quibus velut sub vestimento continetur, verè ac propriè franguntur. Observat S. Pater, quòd Paulus etiam hîc utatur verbo κλάμεν, *frangimus*, quo propriè fractio significatur, non qua corporis ossa cruento modo frangi vel *morsificari* solent, sed

sed quo panis frangitur in partes, uti per totum ferè novum Testamentum videre est, fractionem panis hoc verbo exprimi. Imò & Septuaginta hoc eodem verbo utuntur. Thre. 4. 4. *Parvuli perierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, nempe, ut indigaret, se propriè de illa fractione corporis Christi loqui, quæ fit, dum corpus Christi sub speciebus panis Deo oblatum à sumente comeditur, & ideo frangi dicitur, quia species franguntur &c. Hinc Chrysostomus ait. *Quod non passus est in cruce, hoc in oblatione patitur propter te: & patitur frangi (dicto modo incruento) ut omnes impleat.* His tamen non negatur, quòd non etià indicetur oblatio in cruce facta; sed tantummodò asseritur, quòd non sola illa cruenta oblatio indigaretur, verùm etiam illa, quæ jam tunc in cœna fiebat, & adhuc nunc fit in oblatione Missæ; & quidem, quòd hæc incruenta sub speciebus panis potiùs, quàm illa in cruce per verbum *κλάμενον* tunc in cœnâ indigitabatur. Merito exclamemus cum Paulo: *In Christo Jesu sunt*

sunt omnes thesauri sapientia ac scientia absconditi, quin & amoris. Colof. 2. v. 3. Nam licet ad redemptionem totius generis humani unica oblatio cruenta in cruce peracta suffecisset; attamen tam praestans oblatio est, aeterno Patri proprium filium offerri, ut zelo hujus Filij, quo pro gloria Patris sui ardet, non suffecerit, Patrem a se tam praestanti oblatione semel in cruce cruento modo honoratum esse; sed voluerit hoc sapissime fieri; & quia non convenit hoc nunc cruento modo fieri, sua sapientia & potentia ordinavit, ut saltem incruento modo fieret usque ad consummationem saeculi: quemadmodum, etsi unica gutta sanguinis sui effusa ad eandem redemptionem suffecisset, tamen se usque ad mortem, & quidem mortem crucis summè acerbam & coram mundo summè ignominiosam humiliare voluit, ut humiliatio erga Patrem, & sic etiam redemptio humani generis non tantum sufficeret, sed & superabundaret, uti ait Paulus: *Habemus redemptionem per sanguinem*

guinem ejus (remissionem peccatorum)
 secundum divitias gratiae ejus, quae su-
 per abundavit in vobis in omni sapientia
 & prudentia, ut notum faceret nobis Sa-
 cramentum voluntatis suae & c. Eph. 1.
 v. 7. & c.

§. II. Ratio II. Heid.

Tum quia Christus, ait D. Heidegg.
 de pane accepto in manus, benedicto &
 distributo, dicens: Hoc est corpus me-
 um; de poculo autem seu genimine vi-
 tis, quod sit, sanguis Domini, diserte do-
 cet & innuit, ita corpus & sanguinem
 suum, nec aliter adesse, quam quatenus
 panis est corpus, & vinum seu genimen
 vitis sanguis, quibus sanè verbis qui ad-
 diderit, mendax reperietur. Ita D.
 Heideggerus.

Hoc argumentum in formâ Syllo-
 gisticâ sic proponendum est.

Ita corpus & sanguis Christi, nec ali-
 ter, adest in Eucharistia, quam quatenus
 panis est corpus, & vinum seu genimen
 vitis est sanguis.

At panis non est aliter corpus, nec vi-
 num seu genimen vitis est aliter sanguis,
 quàm

quàm quatenus est figura representans
ac obfignans corpus & sanguinem Christi.

Ergo ita corpus & sanguis Christi,
nec aliter, adest in Eucharistia, quàm
quatenus panis, & vinum, seu genimen
vitis, est figura ipsum corpus & sanguin-
em Christi representans & obfignans:
Adeoque corpus & sanguis Christi non
adest in Eucharistia verè, realiter, ac
substantialiter præsens.

Majorem Christus ipse, ait D. Heid.
disertè docet & innuit, de pane accepto
in manus, benedicto, & distributo dicens:
Hoc est corpus meum; de poculo au-
tem seu genimine vitis, quòd sit, sanguis
Domini. At minorem argumento suo
non exprimit D. Heid. sed velut in-
dubitatum supponere videtur: & ideo
videtur ipsi hoc quoque argumen-
tum firmissimum.

Resp. I. breviter, & dico falsissi-
mam esse Majorem, quemadmodum &
falsissimum est id, quod D. Heid. pro
ejus probatione asserit, nempe quòd
Christus de pane accepto in manus, &c.
dixerit: Hoc est corpus meum; de po-
culo autem seu genimine vitis, quòd sit
san-

sanguis Domini: Sanè ipse D. Heid. hæc
 verbis Christi affingit. Evangelistæ
 enim solùm referunt, quòd Christus
 acceperit panem, benedixerit, ac fre-
 gerit; at verò, quòd panis in priore
 substantiâ, etiam postquam dixit: *Hoc*
est corpus meum, permanlerit, ideòque
 Christus distribuerit panem in priori
 substantia permanentem, hoc nulli-
 bi referunt. De genimine vitis infra
 §. 4. Ostendat D. Heid. quando Christus
 unquam *de cibo discipulis distriburo* di-
 xerit: *Hic est panis*, Seu: *Hic panis est*
corpus meum: et ideo disertè docue-
 rit, panem à se vocari corpus suum. Et
 sic etiam vinum dici sanguinem suum.
 Certè Christus ipse prorsus con-
 trarium innuit & docuit (nempe id,
 quod nos Christo, utpote æternæ
 Veritati, & in re tam gravi sincerè
 loquenti credimus) de illo, quod di-
 stribuit dicens: *Hoc est corpus meum &c.*
 Et de calice, ex quo eos bibere iussit:
Hic est sanguis meus &c. Et quidem,
 quòd non de pane ac vino loquatur,
 sed de vero corpore & sanguine suo,
 disertè docuit, & innuit, dum addidit,
 illa

illa tradi & effundi in remissionem peccatorum, quemadmodum jam satis probatum, est. Vide etiam supra in parte 1. præsertim c. 2. & 3. Et in parte 2. cap. 1. 2. 3. 4. &c. ubi similia Stuckij argumenta, quibus ille hoc ipsum probare conabatur, soluta invenies.

Ex his collige, quis mendax reperitur. Nos verbis Christi nihil addimus, sed ea, uti in sensu plano, & usitato sonant, intelligimus. At ipse D. Heid. ait, Christum *de vino seu genimine vitis* dixisse, quòd sit sanguis Domini, cum tamen Evangelistæ aliud non dicant, quàm quòd Christus hæc verba dixerit de poculo. Nec ullus ait, in poculo *vinum seu genimen vitis* contentum & discipulis porrectum fuisse. Et sanè mirum est, quòd omnes dicant, Christum de calice dixisse: *Hic est sanguis meus* & nullus, etiamsi in alijs verbis varij sint, dicat, hoc dictum esse *de vino, nec quòd sit figura obsignans*. Hæc ergo D. Heid. verbis Christi addidit: quare & ipse viderit, qualis sit, *si, qui Christi verbis addiderit, mendax reperietur.*

§. III.

§. III. Ratio III. Heideg.

Tum quia panis sic est corpus Christi, quemadmodum calix est Novum Testamentum, quod ita verum est, ut Novum Testamentum tamen in calice non contineatur.

Hoc argumentum juxta terminos, quibus id D. Heid. proponit in hunc syllogisimum reducitur.

Panis sic est corpus Christi, quemadmodum calix est Novum Testamentum.

Sed calix non est verè ac realiter Novum Testamentum. Seu.

Sed Novum Testamentum in calice verè ac realiter non continetur.

Ergo panis non est verè ac realiter corpus Christi.

D. Heid. hæc omnia tam certa putat, ut nec Majoris, nec Minoris probationem insinuet. At verò, si larvam, qua ipsius fallitas obregitur, deponimus, tam clarè, quàm falsum sit, apparet, ut refutatione vix egeat. Quare

Resp. I. Vera est conclusio hujus argumenti in ijs terminis, in eoque ipsorum sensu, in quo D. Heideg. argu-

gumentum proponit; ac proinde conclusionem utique concedimus. An forsitan nostrum aliquis unquam dixit, quod panis (D. Heid. intelligit *merum panem* quoad substantiam) *verè ac realiter sit corpus Christi?*

Resp. II. Nego absolutè Majorem, vel eam majoris claritatis causâ sic distinguo: *Panis* (si intelligimus ut sup. f. III. cibum in abstracto, quem Christus discipulis distribuit) *sic est corpus Christi*, quemadmodum *calix est Novum Testamentum* in eo sensu, quo D. Heidegg supponit, & in Minore insinuat: nego Majorem. In eo sensu, quo Christus ipse *Calicem* vocat *Novum Testamentum*, concedo Majorem. Eodem modo distinguo Minorem, & nego, quod *Novum Testamentum verè ac realiter non contineatur in calice* eo sensu, quo Christus loquebatur: & consequenter etiam Conclusionem (in hoc dato sensu) nego.

Ut autem hæc responsio meliùs percipiatur, in mentem revocandum est id, quod supra folio. 41. 42. 43. sa-

43. satis declaratum est, nempe, quòd nomine Testamenti varia veniant, & quidem inter alia non solum promissio bonorum legatorum, seu ipsa bona legata, seu codex, cui hæc promissio inscribitur; sed etiam id, quo Testamentum confirmatur, & obsignatur. Quare Christus calicem seu sanguinem suum contentum calice vocat *Novum Testamentum*, non in quocunque sensu, sed in eo quatenus est ipsius sanguis, quo Novum Testamentum obsignatum est: & ideo ipse nulli absolute dicit: *Calix est Novum Testamentum*: sed *Hic calix est Novum Testamentum in meo sanguine* Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. Seu, ut refert Mathæus: cap. 26. 28. Et Marcus. 14. v. 24. *Hic est sanguis meus Novi Testamenti*, id est, quo Novum Testamentum obsignatur, ut supra fol. 42.

Itaque Majorem in hoc sensu, quo Christus manifestè loquebatur, concedo: at nego Minorem. Evincat D. Heid. d quod asserit. Certè Christus, ut contrarium non tantum insinuaret, sed etiam indigaret, nempe, quòd *Calix* (id est

est, uti utrinque intelligimus, potus calice contentus) quem ipse discipulis porrigebat bibendum, *si verè ac realiter sanguis suus*, quo Novum Testamentum obfirmatur, primò hunc calicem seu potum, disertis verbis vocavit *sanguinem suum*, dicens: *Bibite ex eo omnes: Hic est enim sanguis meus*, Matth. 26. v. 28. Secundò causalem enim (uti patet loc. cit.) addidit, ut discipuli agnoscerent, potum hunc talem esse, ut non negligere possèt ex eo bibere. Tertiò addidit expressè: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti*, seu (quod idem est) ut referunt Lucas & Paulus loc. cit. *Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo*, &c. ut indigiraret, se non vinum porrigere, sed verum sanguinem suum: siquidem Novum Testamentum non vino, seu genimine vitis; sed ipso Christi sanguine obfirmatum est. Quartò. Adhuc addidit: *Qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*: ut agnoscamus potum calice contentum non esse *vinum* seu *genimen vitis*, sed verus ipsius sanguis; quia utique ipsius sanguis & non vinum

num in remissionem peccatorum effunditur. 5. Et quia dubium esse posset, utrum potus calice contentus dicatur effundi in remissionem peccatorum, ideo (divinâ utique providentiâ) factum est, ut Hagiographi hæc verba Christi diversis verbis referrent, & hac ipsâ diversitate dubium tollerent, ut vidimus, part. 1. præsertim cap. 6. fol. 49.

§. IV. Ratio IV. Heidegg.

Quia Matthæus cap. 26. v. 29. & Marc. cap. 14. v. 28. *verbis Christi, quibus poculum tradidit, addunt ea verba:* Dico autem vobis, non bibam dehinc de hoc genimine vitis, usque ad diem, quo id bibam vobiscum novum in Regno Patris mei, *quibus ex verbis abundè liquet, id, quod bibebant Discipuli, fuisse γένημα ἀμπέλης genimen vitis. & calicem vocari Novum Testamentum, quia signus esset Novi Testamenti, seu Regni Dei mox inchoandi, in quo esset cum illis bibiturus genimen vitis aliud, hoc est, novum & antehac inusitatum, quod de re symbolo obfigura-*

N

129

ta, videlicet Novo Testamento, ejusque bonis accipiendum. Hæc D. Heid.

Non video, in qua meliore, quam in sequente formâ syllogisticâ hoc argumentum, ut Lectori vis ejus melius innotescat, proponi possit.

Id, quod Christus expressis verbis vocavit genimen vitis, seu vinum, id non est sanguis ipsius, sed verè ac realiter genimen vitis, seu vinum.

At Christus id, quod contentum poculo Discipulis porrexit, expressis verbis vocavit genimen vitis, seu vinum.

Ergo id, quod Christus poculo contentum discipulis porrexit, non est ipsius sanguis, sed verè, ac realiter genimen vitis, seu vinum.

D. Heid. supponit Majorem indubitatè veram. Minorem probat: quia ex cit. verbis Matthæi & Marci; *Dico autem &c.* abundè liquet, id, quod bibebant Discipuli, fuisse genimen vitis &c. Forma argumenti bona est; ergo & conclusio videtur verissima.

Resp. I. per instantiam, & hunc sequentem syllogismum, qui priori prorsus

us quidem similis est, at prorsus con-
trarium probat, obijcio.

*Id, quod Christus expressis verbis vo-
cat sanguinem suum, non est genimen
vitis, seu vinum: sed verè ac realiter
sanguis ipsius.*

*At Christus id, quod contentum pocu-
lo Discipulis porrexit, expressis verbis
vocavit sanguinem suum.*

*Ergo id, quod Christus contentum po-
culo discipulis porrexit, non est genimen
vitis, sed verè ac realiter sanguis ipsius.*

Quæro, qua de causâ, nulla hujus
mei oppositi syllogismi habita ratio-
ne, securè amplectar conclusionem
syllogismi à D. Heid. objecti? Nam
veritas hujus Majoris eodem, quo illa
Major oppositi prioris syllogismi, fun-
damento nititur; & sic, si illa vera est,
& hæc nostra erit vera. Minor pro-
batur, quia Christus etiam apud Mat-
thæum & Marcum (idem insinuat
apud Lucam & Paulum) locis sæpius
citat, id, quod poculo contentum
discipulis distribuebat bibendum, vo-
cavit expressis verbis *sanguinem suum:*
dicens: *Bibite ex eo omnes: Hic est*

enim sanguis meus &c. Et quidem ea addidit verba, ut omne prudens dubiū tolleret, sicuti de poculo supra dixi fol. 288. Ergo, cum argumentum in eadem formā sit, mea quoque erit verissima conclusio. Sed qua ratione utraque, cum sibi contradicant, vera esse potest? Alterutra ergo erit falsa: at quomodo D. Heid. nervosè meum argumentum refutabit, ne simul suum suis nervis, si quos habet, privet?

Resp. II. directè, & dico, Majorem non absolutè, uti videtur, veram, sed juxta communem etiam adversariorum doctrinam sic distinguendam esse: Id, quod Christus (vel alius scripturæ locus) expressis verbis asserit, eo modo se habet, quo modo se habere ab ipso asseritur, & consequenter id, quod Christus expressis verbis vocat *genimen vitis*, est verè ac realiter genimen vitis, concedo, nisi alia Christi verba magis, vel æquè expressa & clara prædant, vel aliunde constet, verborum illorum alium, quàm ut per se sonant, sensum esse: quod si verò de hoc constet, ne-

go Majorem. Et ideo, etsi Christus expressis verbis dicat; *Ego sum vitis vera*. Joann. 15. 1. D. Heid. non concedet, Christum ideo verè ac realiter esse *vitem veram*. Sanè Christus magis, vel saltem æquè expressis verbis id, quod calice continetur, vocavit *sanguinem suum* ac *genimen vitis*; & verba, quæ addidit, alijsque locis dixit, satis produnt, hæc verba *de sanguine*, & non illa *de genimine vitis* esse in plano ac proprio sensu intelligenda; & ideo, illud contentum verè ac realiter verum ipsius sanguinem esse, & *genimen vitis* per tropum vocari. Nam 1. demus verum esse, quòd Matthæus, & ex eo Marcus, referant, Christum de calice consecrato dixisse; *Non bibam de hoc genimine vitis &c.* hujus tamen nec Paulus, nec Lucas mentionem faciunt, cùm è contra non tantùm hi, sed & ipse Matthæus & Marcus dicant, Christum de calice dixisse: *Hic est sanguis meus &c.* Ergò hæc verba præ illis seria, & in proprio sensu intelligenda, & maximè observanda judicârunt. 2. Nullus antiquo-

rum Patrum ex illis verbis: *Non bibam de hoc genimine, &c.* deducere conatus est (quemadmodum nunc D. Heidegg.) in calice non Christi sanguinem, sed verum genimen vitis contineri, cum tamen omnes in communi ex illis verbis: *Hic est sanguis meus, &c.* nervosè demonstraverint, verum Christi sanguinem in poculo contineri. Sanè, si Scriptura in rebus tam gravibus clara est (uti claram esse docent adversarij) hinc clara esse, & à tot SS. Patribus verum ejus sensum tam solerter inquirentibus, & ab omni passione, hinc in re, liberis benè intellecta, & sincerius, quàm à D. Heid. explicata esse, credenda est. 3. Cum Christus addiderit: *Hic est sanguis meus, novi Testamenti, qui pro multis effunderetur in remissionem peccatorum.* Matth. 26. 28. satis patet, ipsum seriò locutum, & hæc verba in proprio sensu, uti sonant, intelligenda esse. Contra verò si (ut putat D. Heidegg.) his verbis mox subjunxit: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum*
novum

novum in regno Patris mei: facile ad-
vertere est, quod sanguinem suum
per tropum vocaverit genimen vitis;
 siquidem & alia addita verba non nisi
 per tropos ab ipso D. Heideg. expli-
 cantur, dum ait, *calicem* vocari no-
 vum Testamentum, quò pignus esset
 novi Testamenti: *Regnum Dei esse*
 novum Testamentum mox inchoan-
 dum, *genimen vitis aliud novum esse*
 bona novi Testamenti &c. 4. Chri-
 stus expressis verbis dixerat: *Ego*
sum vitis vera. Joan. 15. 1. Et ipse Ja-
 cob de Christo prædixerat: *Lavabit*
in vino stolam suam, & in sanguine uva
pallium suum. Gen. 49. 11. intelligens
 per *vinum* seu *sanguinem uva* (quod
 juxta Hebraicum loquendi modum
 idem est, ac *genimen vitis*) sanguinem
 futuri Christi Redemptoris, in quo
pallium suum, id est, humanitatem su-
 am, velut pallium seu vestimentum as-
 sumendam loturus sit, ut supra ex
 Theod. fol. 198. Quid ergo, si dicam,
 Christum, postquam expressis verbis
 de calice dixerat: *Hic est sanguis meus*
 &c. hunc suum sanguinem ideo vo-

casse *genimen vitis*, ut ad prædicta loca alluderet, & sic, uti sæpe facere solebat, ostenderet, adimpleri has Scripturas? An non datâ hac responsione non modo corruet argumentum D. Heideggeri, sed nostra sententia firmior persistet? At quid his inhæreo?

Resp. III. nego Minorem. Ad ejus probationem dico, falsum esse, quòd ex verbis: *Dico autem vobis &c. abundè liqueat*, id, quod bibebant Discipuli (post calicis consecrationem, uti D. Heideg. supponit, & supponere debet, aliàs argumentum ipsius nullum esset) fuisse *genimen vitis &c.* Nam ex citatis verbis non *abundè liquet*, Christum ea verba de calice jam consecrato dixisse; imò multò probabilius est, Christum ea dixisse de calice non consecrato, & ideo argumentum D. Heideggeri nullum est. Ut autem hanc responsionem intelligas, notandum est, verum quidem esse, quòd Matthæus, & ex eo Marcus (qui potiùs compendium Evangelij S. Matthæi, quàm novum Evangelium scripsit) prædicta verba: *Dico autem vobis*

vobis &c. subjungat verbis Christi de calice testantis: *Hic est sanguis &c.* At ex hoc non abundè liquet, quòd Christus ea post consecrationem, & sic de consecrato calice locutus fuerit, cùm Lucas disertè referat, ea ante consecrationem, & ideo de calice non consecrato dicta esse. Cur autem non æquè sequat relationem Lucæ, ac ipse D. Heid. relationem Matthæi & Marci sequitur? At non opponendi, sed inter se conciliandi sunt Hagiographi. Sed quomodò? Sanè ipse D. Heideg. fateatur necesse est, ipsum Matthæum & Marcum plus Christi verbis ad mores hominum rectè formandos recensendis instituisse; & ideo potiùs ad ipsa verba, quàm ad ordinem, quo illa prolata sunt, attendisse: Lucam verò magis inhæsisse factis, gestisque Christi benè recensendis, & ideo gestorum ordinem melius observasse. Quisquis Matthæum & Marcum legerit, facile advertet, hoc ipsum in hac ipsorum narratione contigisse. Ipsi enim, ea, quæ in cœna acta sunt, quo ad historiam breviter expediunt: Lucas ve-

rd non tantum verba , sed & gesta
Christi exactius his verbis describit
cap. 22. v. 14.

Cum facta esset hora, discubuit, &
duodecim Apostoli cum eo. 15. Et ait
illis: Desiderio desideravi hoc Pascha
manducare vobiscum, antequam patiar.
16. Dico enim vobis, quia ex hoc non
manducabo illud, donec impleatur in
Regno Dei. 17. Et accepto calice gra-
tias egit, & dixit: Accipite & divide-
te inter vos. 18. Dico enim vobis, quod
non bibam de generatione vitis, donec
Regnum Dei veniat. 19. Et accepto
pane gratias egit, & fregit, & dedit eis,
dicens: Hoc est corpus meum, quod
pro vobis datur. Hoc facite in meam
commemorationem. 20. Similiter &
calicem, postquam cœnavit, dicens:
Hic est calix novum Testamentum in
sanguine meo, qui pro vobis funde-
tur. 21. Veruntamen ecce manus tra-
dentis me mecum est in mensa, &c.

Ut hanc narrationem melius inrel-
ligas, sciendum est, quod Christus pri-
mo cum Apostolis comederit Pascha
legale, id est, cœnam Agni Paschalis
more

more Hebræorum, & quia paterfamilias in hâc cœnâ solebat panem frangere, & discumbentibus distribuere: & similiter calicem vini libare, & per orbem conviventibus tradere, hoc ipsum Christus faciebat ante consecrationem calicis, ut patet ex Lucâ v. 17. Et de hoc calice, utique nondum consecrato, dixit: *Dico enim vobis &c.* uti abundè liquet ex Luca v. 18. quemadmodum etiam prius de Paschate legali, non autem de pane Eucharistico, dixerat: *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei.* v. 16. His verbis Christus docuit, legali convivio Paschali tunc finem imponi, at aliud multò præstantius instituendum esse, per quod illud legale, velut figura per figuratum impleatur in Regno Dei, id est, (ut ipsius D. Heid. interpretationi in hæream) *in Novo Testamento mox inchoando.* Et ideo dixerat: *Desideravi hoc Pascha manducare vobiscum &c.* q. d. ut finem hunc imponerem, & aliud novum, antehac inusitatum, toties autem vobis insinuatum

N 6

insti-

instituerem in signum summi mei erga vos amoris &c. Eodem sensu de vino non consecrato, sed in legali convivio distributo dixit: *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei, nempe Novum Testamentum mox inchoandum, veniat. v. 18.* His præmonitis ut animos discipulorum ad expectationem insignis cuiusdam cibi & potûs novi & antehac inusitati erigeret, en, ait Lucas: *Accepto pane gratias egit &c. dicens: Hoc est corpus meum &c. quod pro vobis datur. Ideo ex hoc comedite omnes &c. v. 20. Similiter & calicem, postquam cœnavit (puta cœnam legalem) dicens: Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo. q. d. Hic est ille calix à me antea promissus: id, quod eo continetur, non est amplius naturale genimen vitis, siquidem prædixi me id, ut tale, non amplius bibiturum, donec impleatur in regno Dei, in quo bibiturus sim aliud novum & antehac inusitatum: Accipite & bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus, quo regnum meum, id est Novum Testa-*

Testamentum nunc inchoatum decoratur, stabilitur, ac obsignatur, &c. Hic est potus præclarissimus regni mei. Ideò ego jam feci, hoc ipsum & vos facite, quotiescunque biberis in meam commemorationem &c. Ecce, quàm abundè & series historiæ, & sensus verborum Christi ex ipsa narratione à S. Luca tradita eruatur, & inde liqueat, non calicem consecratum, sed illum in legali cœna distributum à Christo vocatum esse *genimen*, seu *generationem vitis*: & ideo argumentum D. Heid. prorsus corruere.

Quod ad Matthæum & Marcum attinet, hi cum Luca facilè conciliantur, si dicimus, quòd ipsi primò referant Christi verba, quibus Evcharistiam instituit: dein addant verba, quibus ipse jam in cœnâ legali hanc institutionem prædixerat. Econtra verò, si interpretationi D. Heideggeri insistimus, non ita facile Matthæum & Marcum cum tam difertâ narratione S. Lucæ conciliamus.

Dicit D. Heid. prædicta verba Christi: *Dico autem vobis &c.* a quibus

N 7

bus

busdam Patribus etiam alio, & quidem diverso sensu interpretari, Hoc utique concedo, quatenus ea ab ipsis non literali, sed sensu vel morali, vel mystico interpretantur, maxime dum per *regnum Dei*, non *novum Testamentum*, sed gloriam cœlestem intelligunt. Quod si verò cum D. Heid. per *regnum Dei* intelligimus *Novum Testamentum* tunc *mox inchoandum*, cur per *genimen novum* non intelligamus æquè bene ipsum potum Eucharisticum (utique *novum & antehac inusitatum*, *Novi Testamenti pignus*, &c.) ac ipse D. Heid. alia bona Novi Testamenti intelligit? Sanè Patres jam in antiquo Testamento de hoc genimine vitis, id est, de bonis à Christo promerendis biberunt, dum vera fide in Christum venturum crediderunt, & hac fide suas cæremonias fecerunt. At ipsum verum sanguinem Christi nunquam realiter biberunt. Hic potus ergo, inter bona à Christo tradita potius est ille potus *novus*, & *antehac inusitatus*, de quo Christus loquebatur.

S. V.

§. V. Ratio V. D. Heideggeri.

Denique, quia iussit Christus edere panem corpus suum, & vinum sanguinem suum εἰς ἀνάμνησιν ad commemorationem ejus, cum tamen commemoratio tam non sit res commemorata, corporis traditio, & sanguinis Christi fusio, quam praesens non est praeteritum.

Respondeo, & breviter hanc objectionem expedio; nam supra parte I. cap. 7. fol. 60. fusiùs demonstratum est, quòd hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem* nullo modo contra nos, sed pro nobis contra adversarios pugnent, ac indigent, non panem ac vinum, sed ipsum Christi corpus & sanguinem traditum esse in commemorationem passionis ac mortis Christi. Ibidem etiam f. 66. ostendimus, evidenter falsum esse, quòd nihil possit esse signum sui ipsius; nec signum possit esse res signata. Hic solum adverto, quàm sophistice D. Heidegg. ad hoc idem, quod ibidem negavimus, probandum dicat: I. *Quia iussit Christus edere panem corpus suum, & (bibe-
re)*

re) *vinum sanguinem suum ad commemorationem eius.* 2. *Quòd commemoratio tam non sit res commemorata, corporis traditio, & sanguinis Christi fusio, quàm presens non est prateritum.* Nam: Quo ad 1. quæro, ubinam Christus unquam iusserit *edere panem corpus suum, & bibere vinum sanguinem suum ad commemorationem suam?* Non in venio aliud, nisi quòd iusserit ad commemorationem suam id *edere, de quo expressè dixit: Hoc est corpus meum: & bibere ex calice, de quo etiam expressè dixit: Hic est sanguis meus & c.* D. Heideg. evincere, & non supponere vel simpliciter asserere debet, id, quòd Christus & edere, & bibere iussit, simul panem & corpus, ac vinum & sanguinem fuisse, et si Christus non utrumque, sed unum tantummodò asseruerit.

Ad 2. quæro, utrum D. Heideg. loquatur de re, an de actione? Si de re, nempe de corpore & sanguine Christi, nego, quòd corpus & sanguis Christi in Eucharistia contentus non possit esse signum seu commemoratio sui ipsius,

ipsius, quatenus in cruce ipsum cor-
 pus traditum, & sanguis ipse fusus fuit,
 uti supra demonstratum est fol. 67. &c.
 Hinc fallum etiam est, quòd res præ-
 lens non possit esse præterita; liqui-
 dem idem Christus, qui in cruce pas-
 sus est, ille ipse erat, qui 33. annis prius
 natus fuerat. Hinc etiam Christus de
 eodem fœno: *quod hodie est, ait, cras in
 clibanum mittitur.* Matth. 6. 30. Quod-
 si de actione loquitur: nempe (uti
 D. Heid. insinuat) de corporis tradi-
 tione, & sanguinis Christi fusione,
 utique concedo, quòd ea traditio cor-
 poris Christi, & fusio sanguinis, quæ
 hodie in oblatione & sumptione Ev-
 charistiæ fit, non sit eadem cum illa,
 quæ facta est ante 1640. años in cruce:
 at nego, quòd hæc hodie præsens tradi-
 tio non sit commemoratio optima il-
 lius præteritæ. An non ipse David
 ipsum caput Goliæ, ipsum etiam ipsius
 gladium populo demonstravit in com-
 memoracionem illius actionis victo-
 riosæ, qua ipse eodem gladio id ipsum
 caput Goliæ abscidit? An non ipse
 singulis annis similem aliquam actio-
 nem

nem cum eodem capite ac gladio instituire potuisset ad commemorationem præteritæ illius actionis, adeoque ejusdem capitis cum eodem gladio à se abscisis?

Ex his collige, quàm falsum sit, quòd D. Heidegg. initio hujus capitis dixit, nempe quòd ipsa verba, quibus *Evcharistiam* Christus instituit, fictitiam ejusmodi præsentiam excludant, cum satis superque appareat, nec unum verbum esse, quod corporis & sanguinis Christi præsentiam in *Evcharistia*, velut fictitiam excludat, sed singula veram demonstrent: ita ut D. Heid. adhuc nihil contra Synodum vel nervosè refutarit, vel solidè convicerit.

CAPUT V.

REFUTATUR 3. OBJECTIO D. Heideggeri.

Objicit. 3. In *Evcharistia* panis, qui frangitur, vocatur $\kappa\omicron\iota\nu\omega\nu\lambda\alpha$ τῆ $\sigma\acute{o}\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$ communio corporis Christi. I. Cor. 10. 16. *Quibus verbis continetur exegesis verborum Christi. Subjèctum autem*